

XI. Et ita docet sanctus Augustinus *Serm. 232. de temp.* ubi loquendo de eo, qui ab aliis cogere ad inebriandum dicit: *Etiamsi tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua moreretur, quam per ebrietatem minima moreretur* (1).

7. Quæritur 3. An liceat inducere proximum ad se inebriandum, ut impediatur quominus majus malum committat, v. g. sacrilegium, homicidium? Alii negant, sed non videtur improbabilis sententia Lessii, Medinæ, Gob. et aliorum, qui permittunt ob id quod dictum est *Tract. 4. n. 30.* ubi dictum est cum Soto, Sanch. Caj. Mol. Nav. Cast. Bonac. licitum esse suadere alicui peccatum minus (licet alterius speciei) ut liberet eum a peccato majore, quod committere est determinatus (2).

8. Quæritur 4. An imputentur ebrius ad culpam omnia mala, quæ in ebrietate committit? Resp. si ebrietas non est voluntaria, quippe nec etiam peccata erunt mala quæ ex illa sequuntur. Si vero est voluntaria, certe erunt peccata omnia mala prævisa, et etiam quæ moraliter prævideri debuerant. Hinc prævisa reputantur mala, quæ ebrii ordinarie committere solent, vel quæ aliquis antea ex aliis ebrietatibus novit committere, et etiam omnia peccata ad quæ se noverit propensum, cum enim in ebrietate, amisso rationis usu, natura necessario operetur, facile ipsa prorumpet in ea vitia ad quæ propendet. Contra vero non reputantur prævisa alia mala, quæ casu eveniunt: ita Caj. Azor. Less. et Salm. cum aliis (3). Recte autem advertunt Lessius, et Salm. (4) cum aliis, quod gravitas peccatorum, quæ in ebrietate committuntur, accipi debet juxta mensuram advertentia, et voluntarietatis illorum in

(1) L. 5. n. 76. Qu. II. — (2) n. 77. v. Qu. — (3) Cajet. 2. 2. q. 150. a. 4. Azor. l. 7. c. 6. Less. l. 4. c. 3. n. 25. Salm. tr. 25. de V. præcept. cap. 2. ex n. 26. — (4) Less. loc. cit. et Salm. n. 33.

causa, scilicet in ebrietate. Quod autem sentiunt Salmanticenses cum Soto n. 30. et 31. ubi distinguunt et dicunt mala operis, ut occisio, fornicatio, etc. hæc imputari, non autem mala oris, ut contumelia, blasphemia, et perjuria: quia, ut dicunt, ea verba prolata ab usu rationis experte, sunt pure materialia, tamquam prolata a psittaco, unde non habent malitiam formalem. Huic opinioni accedit circa contumelias erga homines, quia revera cum illæ prolatae sunt ab ebriis, non habentur dedecori, modo ille non patefaceret aliquid infame delictum; non vero circa perjuriam, et blasphemias, quia hæc, licet materialiter prolata, semper sunt Deo injuriosæ; et si illæ non sunt voluntariæ in actu, sunt voluntariæ in causa.

CAPUT II.

DE OCCISIONE PROXIMI.

9. et 10. De occisione ex publica auctoritate.

11. Ob propriam defensionem.

12. Confutatur super hoc puncto opinio cujusdam neoterici.

13. De occisione tyrannorum, an unquam liceat?

14. De honoris invasore.

15. Bonorum.

16. Pudicitia.

17. et 18. Ob proximi defensionem.

19. An liceat prevenire aggressorem?

20. De adultero, etc.

21. De innocentis occisione.

22. De abortu.

23. An incurrant excommunicationem prægnantes, etc.

24. De dubia fetus animatione?

25. et 26. An mater possit sumere pharmacum cum periculo abortus?

9. Nemini licet hominem occidere, nisi auctoritate publica; vel ob defensionem propriam. *Auctoritate publica* possunt certe occidi rei condemnati, et etiam proscripsi (vulgo *fuorgiudicati*), modo inveniantur in loco principis proscribentis. Cæterum ne satellitibus quidem licet solum occidere profugum, aut obstantem, licet sit jam mortis damnatus, nisi de hoc habeatur speciale prin-

cipis mandatum. Hoc mandatum cæteroquin potest dare princeps, quando reus jam esset condemnatus, aut convictus, aut sufficienter diffamatus de aliquo capitali delicto, et si fugere permetteretur, timeri possent ab eo mala pejora, ut dicunt Layman, La-Croix, Elbel, et alii (1). Contra non potest princeps præcipere occisionem rei in carcere detenti, et non adhuc morti damnati, quamvis scientia privata constaret eum morte dignum esse; dummodo (limitant Salmant.) ejus delictum non esset notorium, aut periculum esset seditionis, si moreretur eum supplicio necare, aut principi esset dedecori, si ille juridice damnaretur (2).

10. Hic duo notanda sunt. *Primum* est, quod non possunt clerici, licet potestate laicali gaudeant, damnare aliquem morti, nisi expressam Papæ dispensationem obtineant. Cæteroquin Episcopi qui dominio temporali dominantur in aliqua regione in causis sanguinis bene possunt suam potestatem laicis committere; ita Bonac. Trull. et Salm. cum s. Thoma (3). *Secundum* est, quod iudex sub gravi tenetur concedere damnato tempus confitendi, et etiam communicandi (modo non timeatur aliter grave damnum); nam tunc urget præceptum divinum, cum revera us sit in articulo mortis: itaque ille communicare etiam non jejunos, ut dicunt Suarez, Lugo, Navarus, Salmant., etc. Si autem reus animo obfirmatus nollet confiteri, facta ei monitione, potest executioni sententia mandari, Bonac. Trullench, Salm., etc. (4).

11. Insuper ob propriam defensionem licet injustum aggressorem interficere, modo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, nempe si non inferatur proximo damnum majus illo, quod necesse est ad vitandum proprium. Hoc omni lege humana, et divina permissum est, ut di-

(1) Lib. 3. n. 376. et 380. v. Decius. — (2) n. 377. — (3) n. 378. — (4) n. 379.

cunt s. Thomas (5), Catechism. Roman. (6), et dd. omnes, et habetur expresse in *cap. Si vero, 3. de sentent. excom.* ubi dicitur: *Cum vim vi repellere, omnes leges omniaque jura permittant.* Quidam auctor rigorismi amicus asserit, s. Augustinum, et Thomam tenuisse non licere hominem occidere, neque ob defensionem propriæ vitæ; sed prorsus errat, nam s. Thomas *loco citato* pluries expresse docet id esse licitum, dummodo (ait) non intendatur homicidium; sed tantum propria defensio; et sic *cit. art. 7. ad 1.* explicat intelligendum esse s. Augustinum. Nec obstat dicere quod præferenda sit vita spiritualis proximi vitæ temporali propriæ; quia hic ordo charitatis (ut respondent Petrocor. Lessius, et alii dd. communiter) tunc locum habet, cum vita propria est absolute necessaria salutis spirituali proximi, qui in extrema necessitate manet (v. g. si puer manet in periculo proximo sine Baptismo moriendi, tunc adest obligatio vitam fundendi, ut ille baptizetur), non autem cum aggressor voluntarie seipsum conjicit in periculum damnationis; tunc enim ejus prava voluntas non potest aliis auferre jus quod habent propriam vitam tuendi (7).

12. Sed quidam *neoterici*, Eusebius Eraniste in sua defensione doctrinæ s. Thomæ circa tyrannorum occisionem *Epist. 1. pag. 54. num. m.* occasione hujus materiae progreditur ad discutiendum, an liceat viro privato injustum aggressorem interficere, conaturque probare ex eodem s. Thoma illicitum esse privatis aggressores interficere etiam ad propriam vitam servandam. Oportet igitur Angelici sententiam perpendere. S. Doctor 2. 2. q. 64. a. 7. scribit, aliquem actum plures effectus habere posse, unum in intentione, alium præter intentionem. Ex

(5) 2. 2. q. 64. a. 7. — (6) P. 3. de V. præc. n. 8. — (7) Lib. 3. n. 380.

actu autem propriæ defensionis duo possunt effectus sequi, conservatio propriæ vitæ, et occisio aggressoris: hinc autem s. Thomas dicit quod actus, qui fit ad vitam servandam, licitus quidem est; sed potest illicitus reddi, si improporionatus sit ad finem tuendæ vitæ, prout esset, si quis pro sua defensione majorem vim adhiberet, quam opus esset. En Angelici verba: *Potest tamen aliquis actus ex bonâ-intentione proveniens illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia, quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderate tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vite sue providere, quam vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet, nisi publica auctoritate propter bonum commune, ut ex supradictis patet; illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem. Ex his postremis verbis, illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, infert præfatus Eusebius Eraniste, s. Thomam docere quod homo ita se continere debet intra limites justæ defensionis, ut nullam ipse nec minimam voluntatem habeat interficiendi aggressorem, quamvis ad propriam vitam servandam id oporteret. Unde concludit quod, ut tale homicidium sit inculpabile ex parte petiti, illud contingere deberet per merum accidens, ita ut invasor maneret occisus, quin ulla voluntas petiti in occisionem illam partem haberet. Et sic ait intelligendum esse illud s. Thomæ, *Illicitum est quod homo intendat occidere hominem*. Fere eodem modo se explicat *Juveninus*, dicens tunc*

defensorem esse a culpa immunem in tali homicidio, cum id contingit ex ipso aggressore, qui irruit in defensoris ensem; ita ut aggressor decedat non jam ex vulnere inflictio a defensore, sed ex vulnere illo quod ipsemet aggressor a seipso sibi infligit, petito aggrediendo, sive ut alius auctor ejusdem opinionis exprimit: *Si ex seipso aggressor se transfigit ense defensoris*.

Sed hoc dico, non esset quidem vim vi repellere, sed esset velle repellere vim sine vi. Vim vi repellere importat, quod petitus talem opponat vim, quæ correspondeat, ac sit proportionata ad repellendam vim aggressoris. Idque satis innuit s. Thomas inquiring, tum illicitum esse actum defensionis, cum non est proportionatus ad finem: *Potest tamen actus illicitus reddi, si non sit proportionatus fini*. Deinde subdit: *Et ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oportet, erit illicitum*. Adverte verba, si utatur majori violentia, quam oportet, tunc igitur petitus immoderate et culpabiliter se defenderet, si uteretur majori violentia, quam opus esset. At, inquit, si aggressor ensem jam impugnat ad feriendum, quomodo posset dici licitum esse petito vim vi repellere, si ille aliud non posset agere, quam manus adhibere, vel ense uti tantum ad repellendos ictus aggressoris quin eum lædere posset? Hæc defensio quippe est valde improporionata ad vim invasoris repellendam. Quis non dicet quod defensio hæc conjuncta esset cum periculo moraliter certo subeundæ mortis? Valde enim difficile est, imo moraliter impossibile, quod defensor, si fugere, aut abscondi non valeat, mortem hoc modo evadere possit. Adde quod s. Thomas, ut legitur sub initio citati articuli 7., referens legem Exodi absolute admittit licitum esse aggressorum interimere pro vitæ propriæ defensione; sic enim ait: *Sed contra est quod*

Exod. 22. 2. dicitur: Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum. Ergo etiamsi aliquis occidit aliquem pro defensione vitæ suæ, non erit reus homicidii*. Notentur verba Exodi, et s. Thomæ, percussor, occidit; ergo tam Scriptura, quam s. Doctor admittunt esse licitum percutere et occidere inimicum pro tutela vitæ: at si petitus nullo modo lædat invasorem, et homicidium per merum accidens evenit, eo quod invasor ipsemet sibi mortem infert, se impellens in ensem defensoris, tunc nequit dici occisor, aut percussor. Sed s. Thomas inquit: *Ergo etiamsi aliquis occidit aliquem pro defensione vitæ suæ, non erit reus homicidii*. Ergo s. Thomas pro tuenda vita absolute permittit occidere aggressorem, adhuc eum vulnerando, occidere enim importat positive hominem ferire: ensem tantum agere ad ictus hostis repellendos, cum solo periculo quod ipse invasor se transfigat ense petiti, non est occidere, neque ferire, sed tantum permittere, vel occasionem præbere, quod inimicus ex seipso se feriat et occidat; at s. Thomas dicit: *Si occidit, non est reus homicidii*.

Remanet autem explicare, quomodo intelligatur illud s. Thomæ: *Illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat*. Cajetanus illud non intendat sic interpretatur, nempe quod occisio non sumatur pro medio propriæ defensionis, sed tantum pro defensionis effectu. Sed hæc interpretatio nimis subtilis videtur Dominico Soto, unde ait ille *lib. 5. qu. 1. art. 8.* quod semper ac finis est licitus, licitum etiam est eligere medium necessarium ad talem finem obtinendum. *Qui juste (ait) vult finem, juste velle potest et medium cum eodem fine ne-*

cessario connexum. Idcirco addit, quod, cum defensor suum invasorem interficit, alio medio carens ad mortem evitandam, tum eum occidendo non censetur quod illius mortem intendat, sed tantum sui defensionem: *Cæterum, cum quis invaditur, quocumque modo occidat invasorem, quia nulla alia via potest illius manus evadere, non censetur intendere hominis occisionem sed tantum sui defensionem*. Eodem quasi modo Sylvius s. Thomam explicat dicens: *Si aliud spectes, quam te defendere, matumque evadere, vindicta est, non mera defensio*. Huicque explicationi adherent du-Hamel, et p. Concina *loc. cit. n. 8.*

Sed instat Eusebius Eraniste dicens: s. Thomas docet, *illicitum esse quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem*. Ergo eis, qui publica auctoritate carent, semper illicitum est hominem necare. Attamen advertendum quod s. Thomas non dicit illicitum esse viro privato hominem occidere sed quod intendat occidere. Quapropter respondemus quod illi, qui publicam auctoritatem habent, non solum hominem occidere possunt, sed etiam illius occisionem intendere. Privatis autem nunquam licitum est intendere occisionem aggressoris, sed tantum eis permissum est aggressorem occidere in necessitate propriæ vitæ servandæ, quo casu non mortem hostis, sed tantum suam defensionem intendunt. Cæterum angelicus Doctor Canonum venerator maxime fuit; Canones autem, ut vidimus, nimis aperte declarant licitum esse aggressorem interimere ad propriam mortem evitandam: explicandus igitur est s. Thomas, ne dicatur ipse sacris Canonibus adversari, et ideo auctores superius laudati quærunt textum s. Doctoris explicare, et apte explicant, quomodo ejus verba intelligi debent.

Nulli dubium quod potius velle

mortem sufferre, quam occidere aggressorem, ne ille occisione pereat in æternum, est actus sublimis charitatis et perfectionis, estque conformis Evangelii consilio; modo aiunt Sotus, Concina et alii defensor non inveniatur, cum invaditur, gravatus mortali peccato: *Consilio*, sed non præcepto; opinio enim quod illicitum sit aggressorem necare etiam in necessitate evadendi mortem, non solum est contra sententiam communem (ut vidimus) theologorum; sed eam Salonicus Soto (*loco citato*) appellat *errorem* manifestum; atque p. Concina. n. 7. ait rationabiliter sic loqui Sotum, quoniam talis opinio destruit jus ab ipsa natura in hominibus insitum propriam tuendi vitam. Quippe opinio hæc (sunt verba Concinae) *quumquam proferre videatur charitatis evangelicæ imaginem, tamen jura omnia pervertit; et certe jus illud ipsi nature insitum conservandi propriam vitam omnino convellit*. Præterea, addit Concina, quod per illam opinionem ordo providentiæ pervertitur; en ejus verba: *Providentiæ item ordinem (hæc opinio) perturbat, qua permittitur, ut iniquorum temeritas hominibus vitam eripiat. Accedit opinionem hanc ministrare arma perversorum malitiae ad bonorum cædem, adque flagitiorum quorumvis executionem: quæ omnia ut de medio tollantur, nihili faciendæ est sceleratorum vita*. Idem prius scripsit Comitulus, *Lib. 4. q. 10. n. 10.* brevioribus verbis: *Opinio (contraria) arma certa ministrat injustitiæ, cædi bonorum, rerum publicarum everzioni, tyrannidi vitiorum*.

Obijcitur ab adversariis illud s. Augustini in epistola 47. alias 154. n. 5. *ad Publicolanum*, ubi dicitur: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, accepta legitima potestate, si ejus congruat*

personæ... Dictum est: Non resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit. At sapienter huic respondet Du-Hamel (tom 5. tr. de 5. præcept. lib. 2. diss. unic. c. 2. n. 9. v. Resp. Aug.) dicens Augustinus non de eo loquitur, qui se defendere coactus hos necat, ubi non est alia ratio expediendæ salutis, sed de homine qui hominem improbum occidit, ne ab illo ipse et alii occidantur. Inquit, *ne ipse et alii occidantur*, ergo s. doctor non loquitur de injusto aggressore, sed de homine impio, a quo occisor suam aliorumque mortem formidabat.

Præterea objiciunt, id esse contra ordinem charitatis, qua tenemur spiritualem vitam proximi præferre nostræ temporali vitæ, juxta dicta *lib. 2. num. 27. Sed hæc charitatis lex (recte respondet p. Concina) tunc solum obligat, cum nostra temporalis vita medium necessarium fuerit ad spiritualem proximi salutem. Porro qui me impetit, sua culpa id facit, atque adeo mea vita haud est necessaria illius salutem, cum ipse desistere possit ab iniqua aggressionem. Ita p. Concina, et ita expresse docet etiam s. Thomas 2. 2. qu. 25. art. 8. ac præsertim id sufficienter declaravit in citata qu. 64. art. 7. ubi dixit, prout jam notavimus: *Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ præmittat ad evitandam occisionem alterius, plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam vitæ aliene*.*

Prudenter autem addit P. Concina, quod si petitus sit valde timoratæ conscientiæ, in eo sperari potest, quod talis defensio cum occisione aggressoris sit immunis a culpa; contra vero, si vir ille sit non magnæ virtutis, difficulter innoxia erit; nam in praxi difficulter invasorem, a quo impeditur, sine spiritu vindictæ interimet, intendens tantum propriæ vitæ defensionem, non autem mortem adversarii, idcirco s. Augustinus sapienter monebat: *Non resistamus*

malo, ne nos vindicta delectet. Sed aliud est dicere quod in praxi viri modicæ virtutis, occidendo aggressores suos, raro a peccato immunes erunt, aliud dicere, numquam esse licitum injustos invasores velle occidere, quamvis id esset necessarium ad propriam vitam tuendam, nam hujusmodi nimis rigida et irrationabilis opinio illaquearet conscientias, non solum iniquorum qui saltem speculative loquendo non peccant, putantes licite posse suos aggressores perimere ad propriam mortem vitandam, sed etiam plurium timoratorum, si credere tenentur non posse aggressores lædere; etiamsi injuste illi aggredirentur, nec alia via pateret ad vitam servandam.

13. Hic autem videndum, an liceat unquam principem tyrannum interficere? Præmittendum quod duplici modo princeps potest esse tyrannus in titulo et in regimine. Tyrannus in titulo est ille, qui sine ullo jure per vim occupat statum aliquem expoliando de eo legitimum dominum: aut is qui, injuste occupato alieno statu, deinde pacifice illum possidet. Tyrannus vero in regimine est ille, qui justo titulo, regnum possidet, sed injuste illud regit, plures injustitias et immanitates exercendo. His expositis, aliqui auctores, sed pauci parvæque auctoritatis, insipienter dixerunt, licitum esse interimere tam tyrannum in titulo, quam tyrannum in regimine. Alii vero negant occidi posse tyrannum in regimine, quantumcumque regnum tyrannice gubernet; ac etiam tyrannum in titulo, cum ille, etsi injuste regnum occupasset, postea tamen illud pacifice possidet. Contra autem dicunt licitum esse interficere principem, qui injuste per vim regnum occupavit, et per vim prosequitur illud possidere, repugnantibus regnicolis, qui tantum timore affecti ægre ei subdantur. Sed nos dicimus privatis hominibus semper esse illicitum interficere tyrannum tam primæ, quam secundæ speciei.

Ratio, quia subditi ex divino præcepto venerari et obedire tenentur suis dominantibus, quamvis injustis et perversis, prout docet s. Petrus: *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*. 1. Petr. 2. 18. Unde d. Aug. scripsit, *Dominum dare regnum terrenum piis, et impiis, sicut ei placet*. Semper igitur ac princeps est in possessione regni, obligantur subditi tenere eum tamquam proprium dominum; ait enim s. Thomas, quod, licet aliquis injuste usurpatus fuisset alterius statum, si postea subditi ipsum ut dominum recognoscerent, aut antiquus dominus vel alius princeps amborum superior ei dominium regni ultro concederet, tunc legitimus dominus illius evaderet: *Qui per violentiam dominium subripit, non efficitur dominus; et item, cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere; nisi postmodum dominus verus effectus sit vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris*. S. Thom. 2. sent. dist. 44. q. 2. art. 2. Quamobrem cum usupator multipliciter possit justus regni dominus fieri, ideo subditi semper parere debent suis actualibus dominantibus, ad ipsos enim minime pertinet judicare, an illi legitime aut illegitime statum possideant.

Et subditi hujusmodi dominantibus obedientiam negare nequeunt, tanto minus eos vita et possessione regni privare possunt. Subditorum est obedire, non judicare de principe, qui Deo solummodo subjacet circa res sui domini, nec ab alia terrena potestate dependet. Si subditi de titulo, aut possessione principis judicium ferre possent, numquam deesset eis, qui pravo animo affecti sunt, prætextum invenire ad se concitandos adversus principem. Scripsit Azorius: *Hæc sententia de licita occisione tyranni in titulo, quamvis tot auctorum testimonio comprobetur, mihi tamen dubia est. Quamvis enim evidentia pa-*

trati sceleris probationem non postulat, requirit tamen sententiam. Insuper quamvis hujusmodi tyrannus jus et titulum non habeat in regno, facta tamen habet possessionem a qua dejecti non potest, nisi prius audiatur et judicetur. Optimæ sunt rationes, quas hic auctor profert ad opinionem reprobandam, quod tyrannum in titulo tollere e vita liceat; nemo enim, nec princeps, nec privatus potest vita rebusque suis expoliari quin prius audiatur, aut saltem a suo legitimo iudice damnetur. Subditi autem nunquam jus habere queunt ferendi iudicium in ipsorum actuale dominum. Sed minus recte fassus est dicendo: *Hæc sententia dubia mihi est; dicere debebat, improbabilis, falsa, falsissima mihi est, juxta id, quod prius scripserat p. Alphonsus Salmeronus tom. 13. p. 14. in epist. apost. diss. 5. ubi sic dixit: Cum mandatum sit nobis indistincte obedire principibus etiam dyscolis, iis parendum est; in his tamen quæ non sunt contra Dominum. Atque insuper, quod etiamsi princeps injuste regnum usurpatus fuisset eum ut dominum existimare debemus ob eandem quippe rationem, quia ad privatos minime pertinet de juribus principis judicare; cum non sit ergo privati judicare de principibus, etsi illi regnum non juste occupaverint, et regnent ex parte sua, juste tamen sub ejus tyrannide plectitur populus.*

Sed alia adest ratio magis urgens et ampla, propter quam numquam licet principem vita privare, tametsi injuste regnum occupasset, et injuste possideret. Objiciunt auctores contrarii: Sed qui regnum alienum sine aliquo titulo occupat, et sine ratione aliqua possidet, non est illius neque dominus, neque princeps, sed fur et usurpator. Sit utique (respondeo) fur, usurpator, et non princeps, nec dominus, postulo: estne ille homo ut alii? et si est homo, nequit ipse privari vita, aut bonis ab iis qui jus non habent eum vita aut bonis exspoliare.

Communis est ss. Patrum doctrina, quod nulli privatæ personæ licet unquam occidere hominem, quamvis privatum, et quantumcumque iniquus ille sit, nisi publicam habeat auctoritatem, aut nisi id necessarium sit ad propriam vitam tuendam, ut diximus in præterita quæstione; sed loquendo de publica auctoritate, certum est axiomæ illud a s. Augustino traditum: *Quas ne aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur. Lib. 1. de civ. Dei, cap. 26. in med.* S. Thomas autem de hoc rationem reddit dicens: *Occidere malefactorem licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis. 2. 2. q. 64. a. 3.* Deinde subdit quod occidere malefactores solis permittitur principibus, qui publicam auctoritatem habent, quibusque cura communis boni commissa est: *Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem, et ideo eis solum licet malefactores occidere et non privatis personis.*

Si ergo illicitum est subditis interficere tyrannum in titulo, quamvis ipse absque ullo jure regnum occupasset, licetque illud injuste haberet: tanto magis erit illicitum mortem machinari principi existimato tyranno in regimine, qui justo titulo possidet regnum. Item si privatis, eo quod publica auctoritate carent, vetitum est perimere hominem quantumcumque impium, quanto minus proprium principem interficere licebit? Falsum autem omnino est, in communitate subditorum quamdam adesse auctoritatem superiorem, et a principe independentem, ita ut casu quo princeps perverse regnum gubernet, tota communitas eum regno et vita expoliare possit. Nimis perniciosum et ejus rectoribus, si privata presumptione aliqui attentarent presidentium necem etiam tyrannorum.

ut in omnibus rebus licitis obedientia ipsis præstaretur. Unde scripsit Lessius (*de just. et jure l. 2. c. 9. dub. 4. n. 11*): *Princeps et si tyrannice regat, tamen manet superior, unde Scriptura jubet, nos in rebus licitis parere principibus ethnicis tanquam superioribus, etsi maximi essent tyranni, utpote qui Ecclesiam persequerentur et ad impietatem cogerent; ergo non potest a subdito interfici.* Idem scripsit Molina (*de just. etc. tom. 4. tr. 3. D. 6.*): *Aliquis est tyrannus, qui licet sit vere dominus reipublicæ, in qua tyrannidem exercet, inique tamen eam administrat: tyrannum hoc modo nefas est privatis interficere.* Idem scripsit Gregorius Valentia (*tom. 3. disp. v. q. 8. p. 3.*): *Tyrannum perpravum, et communitati exitiosum, legitimæ aliquin auctoritatis usum in gubernando, nulli particulari licet occidere.* Idem scripsit cardinalis Toletus (*Instruct. l. 5. c. 6. n. 16.*): *Tyrannum administratione, qui habet quidem verum titulum, sed tyrannice tractat subditos, non licet occidere; et asserere contrarium damnatur ut hæreticum in Concilio Constantiensi.* Idem scripserunt Cajetanus 2. 2. qu. 64. art. 3. Soto l. 5. qu. 1. art. 3. Prado cap. 20. qu. 1. §. 3. n. 21. Tapia lib. 5. q. 7. art. 3. num. 2. Bonac. D. 2. q. ult. sect. 2. p. 3. n. 2. cum Silvestro. Bannez et Serra in loco cit. d. Thomæ. Idem scripsit Suarez in defens. Fidei l. 6. c. 4. dixitque hanc sententiam non solum communem, sed certam esse: *Diximus principem propter tyrannicum regnum, vel propter quævis crimina non posse ab aliquo privata auctoritate juste interfici. Assertio est communis et certa; conformis est præceptis Petri (Epist. 1. cap. 2. 18.): Subditi estote omni creaturæ propter Deum etc. Magis vero in specie definita est et contraria ut hæretica damnata in Concilio Constantiensi. sess. 15. En propositio quæ tanquam hæretica in præfato Concilio proscripta fuit: Qui*

cipem, qui est tantum pars, apud ipsam necessario debet suprema auctoritas existere. Principium (inquit) non tantum falsum, sed perniciosissimum; nam hoc modo duæ in regno essent supremæ potestates, unde enormissima evenirent schismata, regnique desolatio. S. Thomas aliam non recognoscit auctoritatem supremam, nisi illam, quam habent principes, quibus cura communis boni tribuitur: *Cura communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem. Quapropter etsi princeps perversus, ac populus gravatus esset, tenetur tamen populus obsequium obedientiamque illi præstare, cum subditi nunquam jus habere possint de rebus gestis principis judicare, et tanto minus eum damnare ad vitam, aut regnum amittendum.*

Præterea perpendi debet, quod si hujusmodi casus accideret, quod princeps a suis subditis trucidaretur causa mali regiminis, quodnam malum esset majus, illud nempe quod princeps patrabat, aut illud quod ejus mors inferret, quæ tali modo eveniret? Postquam subditi sic temere contra eorum principem concitati fuissent, atque impie manus suas in ejus sanguine inquinassent, quot rixæ, schismata et civilia bella statim insurgere inter eos ipsos inspicerentur? insuper quot rapinæ, quot sacrilegia, quotque strages? sublato enim a populo subjectionis freno et reverentiæ erga regem, omnes illi, qui pravo animo sunt affecti, quibusnam flagitiis se ipsos non traderent, abscisso jam timore publicæ justitiæ? idque dicere voluit s. Thomas (*Opusc. 20. de regim. princ. l. 1. c. 6.*) ubi scripsit: *Esse hoc multitudini periculosum et ejus rectoribus, si privata presumptione aliqui attentarent presidentium necem etiam tyrannorum.*

Hinc est, quod licet imperatores gentiles impii, et Ecclesiæ persecutores fuissent, attamen quia ipsi imperium possidebant, Deus præcepit,

ut in omnibus rebus licitis obedientia ipsis præstaretur. Unde scripsit Lessius (*de just. et jure l. 2. c. 9. dub. 4. n. 11*): *Princeps et si tyrannice regat, tamen manet superior, unde Scriptura jubet, nos in rebus licitis parere principibus ethnicis tanquam superioribus, etsi maximi essent tyranni, utpote qui Ecclesiam persequerentur et ad impietatem cogerent; ergo non potest a subdito interfici.* Idem scripsit Molina (*de just. etc. tom. 4. tr. 3. D. 6.*): *Aliquis est tyrannus, qui licet sit vere dominus reipublicæ, in qua tyrannidem exercet, inique tamen eam administrat: tyrannum hoc modo nefas est privatis interficere.* Idem scripsit Gregorius Valentia (*tom. 3. disp. v. q. 8. p. 3.*): *Tyrannum perpravum, et communitati exitiosum, legitimæ aliquin auctoritatis usum in gubernando, nulli particulari licet occidere.* Idem scripsit cardinalis Toletus (*Instruct. l. 5. c. 6. n. 16.*): *Tyrannum administratione, qui habet quidem verum titulum, sed tyrannice tractat subditos, non licet occidere; et asserere contrarium damnatur ut hæreticum in Concilio Constantiensi.* Idem scripserunt Cajetanus 2. 2. qu. 64. art. 3. Soto l. 5. qu. 1. art. 3. Prado cap. 20. qu. 1. §. 3. n. 21. Tapia lib. 5. q. 7. art. 3. num. 2. Bonac. D. 2. q. ult. sect. 2. p. 3. n. 2. cum Silvestro. Bannez et Serra in loco cit. d. Thomæ. Idem scripsit Suarez in defens. Fidei l. 6. c. 4. dixitque hanc sententiam non solum communem, sed certam esse: *Diximus principem propter tyrannicum regnum, vel propter quævis crimina non posse ab aliquo privata auctoritate juste interfici. Assertio est communis et certa; conformis est præceptis Petri (Epist. 1. cap. 2. 18.): Subditi estote omni creaturæ propter Deum etc. Magis vero in specie definita est et contraria ut hæretica damnata in Concilio Constantiensi. sess. 15. En propositio quæ tanquam hæretica in præfato Concilio proscripta fuit: Qui*